UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, 1637

S. Adrianus Mart. 8. Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

Visual Library

omnis hodie mortalium plauſus, quam cælum ſuis concentibus provocat, utinam vel ad ultima hujus vota reſponſura! ſcintilla eſt, ab æthere in animos hominum illapſa, utinam in incendia abitura! Bene profectò Innoc. IV. quòd à morte Cæleſtini IV. Pontif. Max. creatio, quam Frideric. II. Imperat. turbare nitebatur, VIRGINIS ope feliciter ſucceſſiſſet, patronæ cunas omnibus annis dies VIII. celebrari juſſit. Sed hoc etiam parum eſſe, audacter dico. Felices illæ Cunæ, illæ linguæ, in quibus quotidie MARIA cum aurorâ naſcitur, cum ſole vivit, & neque cum die emoritur. *Ex Duran. Beleth. Vincent. Turſell.*

Studeamus ſeculi hujus blandimenta deſpicere, carnis incentiva reprimere, Crucem Chriſti aſſiduè in mente portare, quatenus dum nunc gladio Mariæ transfigimur, cum ipsâ de æternæ felicitatis dulcedine ſatiemur. P. Damian. ſerm. 2. de Natal. B. M. V.

S. ADRIANUS MART. 8.*Septembris.*

MAppam dixiſſet martyrum ſanguinem, qui hunc mitti vidiſſet, tam ad pugnam Chriſtianos olim paſſim excivit. Ita ADRIANVM ex equeſtri ordine virum, ut Chriſto militaret, eadem prælia, martyrum glorioſa & invicta in tormentis conſtantia, accenderunt. Et viciſſe etiam ſe ratus eſt, cùm manus tyranno dedit vinculis ligandas, ex quibus cùm aliquot poſt dies cum bonâ veniâ egreſſus ædes ſuas repeteret, conjunx ejus Natalia fortiſſima matrona transfugam è ſanctis caſtris adventare rata tecto excluſit, nec priùs admiſit, quàm fidem ſe DEO ſervaſſe oſtenderet. Quin ipſa in vincula reduxit maritum, ipſa cùm cæſus ilia effunderet, dictis firmavit. Et quia femi-

nis aditus ad ergaſtula martyrum jam negabatur, poſitis capillis, ut viro femina animos adderet, virum induit, cumque membris truncandi jam Chriſti milites eſſent, id ſcilicet à carnifice multis precibus blanditiiſque exoravit, ut primas conjux teneret; ab hoc verò, ut ſponte manus ſecuri ſubjiceret. Ipſa dexteram ADRIANI legens theſauri loco (& erat) aſſervavit. Nec multò pòſt cùm ADRIANVS ad cælitum gaudia Nataliam etiam invitaſſet, conjugi ſuo conjunx iterùm & æternùm juncta eſt. Quamvis quid conjuges dico, quando in utroque virum agnovimus? *Ex Surio.*

Quæ collatio tui eſt ad ineffabilem, ad incomparabilem, ad incomprehenſibilem Deum? nihil ei ad menſuram meriti retribuere potes, ſi in retributionē eorum, quæ pro te ſuſtinuit, te millies mille annis gehennali incendio cruciares. S.Bern.op.de char.c.27.

S. CORBINIANUS EP. *8.Septembris.*

CORBINIANVM fugientem è Galliâ honor Romæ aſſecutus in totius orbis oculis infulâ mactatum in patriam remiſit. Iterum Romam dum fugit, urſum qui clitellarium equum interceptum abſumpſerat, vicariam ſibi operam jubet addicere, & cum equo equi etiam ſarcinas ferre. Reduci per Bavariam Grimoaldus Dux hoſpitium offert. At negat ille impudicitiæ ſtabulum hoſpitium ſibi fore, pelleret, quam uxoris loco haberet, Pilitrudem, fratris nuper conjugem. Advolant, ecce, uterque, & infàmes nuptias ejurant. Subinde CORBINIANVS ad epulum vocatur. Adeſt, benè precatur, aſſidet. Sed dum Grimoaldus bucceam cani objectat (audite qui canes plures quàm pauperes alitis) everſâ menſâ è diætâ ſe proripit, de-

teſtatus